

---

*Der folgende Text soll in angemessenes Deutsch übersetzt und durch die Bearbeitung der unter II. gestellten Aufgaben sprachlich erläutert werden.*

### **I. Übersetzung**

1 Non ego cum Dionysii vita, qua taetrius, miserius, destabilius excogitare nihil possum,  
2 Platonis aut Archytae vitam comparabo, doctorum hominum et plane sapientium; ex  
3 eadem urbe humilem homunculum a pulvere et radio excitabo, qui multis annis post fuit,  
4 Archimedes. Cuius ego quaestor ignoratum ab Syracusanis, cum esse omnino negarent,  
5 saeptum undique et vestitum vepribus et dumetis indagavi sepulcrum. Tenebam enim  
6 quosdam senariolos, quos in eius monumento esse inscriptos acceperam, qui declarabant  
7 in summo sepulcro sphaeram esse positam cum cylindro. Ego autem, cum omnia collus-  
8 trarem oculis (est enim ad portas Agragantinas magna frequentia sepulcrorum), animum  
9 adverti columellum non multum e dumis eminentem, in qua inerat sphaera figura et  
10 cylindri. Atque ego statim Syracusanis (erant autem principes mecum) dixi me illud  
11 ipsum arbitrari esse, quod quaererem. Immissi cum falcibus multi purgarunt et  
12 aperuerunt  
13 locum. Quo cum patefactus esset aditus, ad adversam basim accessimus. Apparebat  
14 epigramma, exesis posterioribus partibus versiculorum dimidiatis fere. Ita nobilissima  
15 Graecia civitas, quondam vero etiam doctissima, sui civis unius acutissimi  
16 monumentum  
17 ignorasset, nisi ab homine Arpinate didicisset. Sed redeat, unde aberravit, oratio. Quis  
18 est omnium, qui modo cum Musis, id est cum humanitate et cum doctrina, habeat  
19 aliquod commercium, qui se non hunc mathematicum malit quam illum tyrannum? Si  
20 vitae modum actionemque quaerimus, alterius mens rationibus agitandis exquirendisque  
21 alebatur cum oblectatione sollertiae, qui est unus suavissimus pastus animorum, alterius  
22 in caede et iniuriis cum et diurno et nocturno metu. Age, confer Democritum,  
23 Pythagoram, Anaxagoram: quae regna, quas opes studiis eorum et delectationibus  
24 antepones?